

TRIBUNAL CONFESSARIORUM, ET ORDINANDORUM

DECLINATO PROBABILISMO:

COMPLECTENS STYLO BREVI , CLARA , AC FIRMA SENTENTIA,
omnes usitatores materias Theologico - Morales , juxta probabiliora , ac
inconcussa Dogmata Angelici , ac Quinti Ecclesiae Doctoris,

D. THOMAE AQUINATIS

Ordinis Prædicatorum , ejusque invictissimæ Scholæ:

SERVIENS OMNIBUS THEOLOGIS MORALIBUS , BOTISSIMUM IHS,
qui sive pro Animatum Cura , aut Ordinum susceptione , sive pro imponenda Theologiæ
Moralis Studio , Coronide , vel defendendis Thesibus Moralibus , methodo Thomistica
arguere , examinare , aut responsa dare cupiunt. Ipsi etiam pœnitentibus , cuiuscumque sing
conditionis , peccutile , ac necessarium;

OPERA , AC STUDIO

P. Fr. MARTINI VVIGANDT , ORD. PRÆD. SACRÆ THEOLOGIÆ
Magistri , ejusdemque in Celeberrima , & Antiquissima Universitate Viennensi
Doctoris , ac quondam Studii Generalis in Competitu Primi
Moderatoris , seu Regentis;

CONTINENS SEXDECIM TRACTATUS , ET OCTUAGINTA SEX EXAMINA,

CUI P. LECTOR Fr. FRANCISCUS VIDAL , REGALIS CONVENTUS PRÆDICATORUM
Valentia filius , (stylum Authoris sequens , & ipsissimam Doctrinam sedans) addidit duos Tractatus ,
in decem Examina distributos , Propositionum Daminatarum unus , & Bullæ Cruciatæ alijs.

SEPTIMA EDITIO:

CAETERIS CLARIOR , ET CORRECTIOR.

SUPERIORUM PERMISSU.

MATRITI : MDCCLXIX.

EX TYPOGRAPHIA VIDUÆ ELISÆI SANCHEZ.
IN PLATEA , YULGO SANTA CATHALINA DE LOS DONADOS,

P R A E F A T I O A D L E C T O R E M.

Quoniam fundatum, & janua virtutum, omnisque gratiae, ac spiritualis consolationis principium est conscientiae puritas, ac cordis munditia, ad quam principaliter, & praeipue per puram, veram, integram, & perfectam Confessionem peccatorum acceditur, merito Tu, quisquis es, Chistii Sacerdos, in foro Poli Judex, Doctor, & Medicus, conscienciis judicandis, docendis, medendiisque prefectus, promovendae cordium munditiae, ac virtutibus plantandis destinatus, merito, inquam, in hoc omnium ponderosissimo Salutis negotio, in arcto aeternitatis itinere, dictante prudentia, & imperante Charitate, indubie dogmata, & medicamenta certa eliges praे minus certis: sicut iter confecturus, ni desipiat, equum habilem eligit praे cludo; navis firmam praे cariosa; viam securam praे incerta. Hinc Duce, ac Doctore tibi opus est, ne ingrediaris viam lacrimam, quae ducit ad perditionem. Angelo ergo Custodi & committe, & hic non sit alius, quam ille ipse, cuius in Opusculi 64. Proemio ipsissima sunt hec Verba, quibus hanc ad te Praefationem exordior: non est is aliis quam Angelicus Ecclesiae Doctor Thomas de Aquino, qui Clementis VIII, effato suis Tomis sive ulla prorsus errore conscripsit. Cuius doctrinam Urbanus VI. vocat veridicam. Ille Thomas, de cuius Tomis Innocentius Papa, hujus, ait: *Doctoris Sapientia, praे ceteris, excepta Canonica, tantum habet Sententiarum veritatem, ut nunquam, qui eam tenuerit, inventiorum à tramite veritatis deviasse.* Tutissima ergo sunt. & inconcussa- hujus Angelici Doctoris dogmata, ab eo, qui nec fallere, nec falli potest, è Cathedra Crucis censurata, & approbata: *Bene scripsi de me, Thoma.* Quæ Sententia est indefinita, ore Dei prolata, æquivalens universalis. Agnovit hoc præclarissimus ille Jesuca Petrus Labbe in hac Angelici Magistri prouerpens encoria: *Angelorum Discipulus. & pene amplus fuit, multa ab Angelis didicit; quædam Angelos docere potuit. Aut Theologiam ad ieras deduxit à calo, aut scivit in via, quod videtur in patria.*

Ergo, benevolentia lector, & Conscientiarum moderator, ne in modernarum laxitarum lubricitate labaris, ne in infiotorum probabilitatum labyrintho à vero devies, Ecce Angelicus noster Praeceptor se tibi jungit, ut Custodem Angelum in hoc Tribunali Theologico Morali, in quo remissis novitatibus antiquorum Patrum, ac Doctorum (quorum lingua loquitur) seniora, ac seniora tibi porrigit sensa. Quibus si parueris, in condonandis peccatis eris fidelis servus, & prudens. Accipe proinde, & amplectere hoc Angelico-Thomisticum animæ Tribunal, ab Angelo Custode Theologie per me, omnium Discipulorum ejus infimum, & indignissimum, ubi erectum. Fateor ulio, quod in hoc opere meum est, nihil est, nisi quod in eo omnes materias Morales, Casuum Resolutioni servientes, contraham, ac more in Examine consueto, & ut dici solet, propter Juniores, rudi, simplici, immo simplicissimo stylo, proponam: & juxta illius (de quo Joannes XXII. testatur: *Quot Articulos scripsit, tot miracula fecit*) nimis alte fati Angelici Praeceptoris mei mentem decidam. Est enim plenimas Casuum Summas, & Sommulas, à Thomistis editas, nec minus extraneas, videre sit, & quidem nonnullas nimis syncopatas, ut qui eis student, sèpe nec sciti sui rationem reddere valeant: Vix tamen in hisce Germanizæ nostræ partibus invenies unum Thomistam Dominicanum, omissis speculacionibus, moralia omnia ea serie, ac ordine, quo in *Summa Divi Thomæ Aquinatis*, sese sub & consequuntur, succincte tractantem. Et hinc Fratribus nostris, sive ad Theologie Moralis Coronem, sive ad Animarum curam, rigorosumque pro ea examen aspirantibus sèpe non modica se objicit difficultas. Cum namque ex omni materia morali rigide sint examinandi, vel omnes Tractatus ad manum non habent; vel si habent, immensum chaos oculis cernunt, quo terrentur; vel si in Scholis eos audiverint, speculativis ad proxim non conducentibus subtilitatibus (in quibus non omnia possumus omnes) permixti sunt, immo abundant. Illis ergo hoc Tribunal nolui respargere, quod pure practicum, & morale est. Si paucula quædam inveneris, quæ tum (respective) capium excedunt, v. g. de constitutivo peccati, & similia, oculos ad faciliora coverte, & perpende, quod teste Operis hujus frontispicio pluribus debitor sim, & quod ex his clarescant alia eis annexa. Observo, paucis exceptis, post binum brevem Tractatum Proemiale, ordinem Quæstionum Angelici Doctoris in Summa; incipiendo à 1. o. & addendo, in quo loco S. D. de hac, vel illa materia tractet, ut possis, si placuerit ad tontem ipsum, ex quo hos rivulos deduxi, recurrere. Multis multorum DD. Authoritatibus, Sententiarumque allegationibus (quæ juniorem de hujus, vel illius Sententiae amplexu non raro perplexum faciunt) chartam cum tua nausea, & sine fructu replere nolui, nisi fors, ubi Quæstio nonnihil controversa est. Sufficit tibi invicta Authoritas S. Thomæ, & Thomistarum. In Causis, & Casibus graviotibus crebro exprimam, quæ Sententia mihi minus, quæ magis probabilis sit. Quæ tutior, non tamen semper probabilior, nec necessario sequenda. Quæ Sententia mihi probabilior, si & tibi talis videatur, tu, non ob me, sed Thomisticae Authoritatis, ac rationis pondus, eam amplectere. Sin minus, cave.

Dividitur hoc Tribunal in sexdecim Tractatus. Hi subdividuntur in diversa particularia Examina. Haec in Quæstiones, & Quæstiunculas pro materiarum diversitate.



TRACTATUS PRIMUS, ET PROOEMIALIS.

De Requisitis in Confessario.



Ulla est disciplina, vel ars, etiam illiberalis, ac mechanica, cuius in Magistrum antequam quis creetur, non fit candidato subeundum examen; vel opere ipso, sive artefacto comprobandum, quot eos in arte fecerit progressus, ut Magistrorum Catalogo possit merito accenseri: Nam sunt plerique (ait S. Gregor. in Prolog. Pastor.) qui dum metiri se nesciunt, quae non didicerunt, docere concupiscunt: qui pondus Magisterii tanto levis astimant, quanto vim magnitudinis illius ignorant. Et his vix! & vel maxime: Vae illis, qui se, inscitiamque suam metiri nesciunt, cum qua animarum curæ, muneri, angelicis etiam humeris formidando, se accingunt, saepe quo stupidiotes, eo ad id promptiores: quæstui temporali interdum magis, quam spirituali inhiantes. Hinc non mirum, quod animarum curæ applicandi prius carentur ad Tribunal, rigide examinandi, an magisterio digni, inque aliorum Doctores, ac Judices sint creandi, necne, pro quorum eruditione sit

EXAMEN UNICUM.

De Examine, Potestate, Virtutibus, Scientia, Officio, & obligatione Confessarii.

*De quibus S. D. partim in Supplemento 3. part. quæst.
8. & 18. & 19. partim in Opusc. 64. & 65. de
Officio Sacerdotis.*

N. 1.



UÆRO I. Ad curam animarum aspirans, tenerisne te prius sistere examini, in quo teneris, ac judiceris, an ad arduum, & tremendum hoc officium sis aptus, necne? Respondeo. Tuttissime, & probabilissime verbis Concilii Trid. sess. 23. cap. 15. Quamvis Presbyteri in sua ordinatione potestatem absolvendi a peccatis accipiant, decernit tamen sancta Synodus, nullum, etiam Regularem, posse confessiones secularium, etiam Sacerdotum, audire, nec ad id idoneum reputari, nisi aut Parochiale Beneficium, aut ab Episcopis per examen, si ita illis videbatur, aut alias idoneus judicatur: & approbationem, quæ gratis detur, obtineat: privilegii, & consuetudine quacumque,

etiam immemoriali, non obstantibus.

Ex his Concilii Tridentini verbis ad Quæsum sub distinctione. Si cui legitime est collatum beneficium curatum, seu habens annexam curam animatum, non indiget alio examine, approbatione, vel expositione: & sic fit in Parochis; eo ipso enim, quod Episcopus talis censuerit idoneum pro administratione Officii Parochialis (quod judicium etiam solet fieri per examen) cum approbavit, & exposuit ad audiendas Parochianorum confessiones nisi forte in ea Diocesi obstatet specialis Constitutio Synodalnis, ut scribitur esse in Diocesi Constantiensi. Verum Religiosus, etiam exemptus, non Parochus, speciali examini se sistere tenetur.

2. Sed quid, si Religiosus ad curam animarum, sive ad confessionum audentiam aspirans, sit Superior, seu Prelatus alicujus Monasterii, vel Province, si Licenciatus, vel Doctor Theologie, si publicus Professor, nonne eo ipso est liber ab examine? Dico. Non est, si Parochiali beneficio caret. Ratio. Quia Concil. Trid. universaliter definir; nullum Sacerdotem, etiam Regularem, posse secularium, etiam Sacerdotum, confessiones audire, nisi, &c. ut ante. Ubi autem Lex non distinguit, neque nos distinguere debemus: ut ajunt iura. Et licet tali viro non desit scientia, forte tamen deest experientia, & prudenter ad hoc conscientia forum necessaria: cujus prainde examen Episcopo committitur.

Ergo